

# L E C T O R I

## PROLOQUIUM.



*Aucis Te detinebo, amice Lector. Tot enim tantaque in præcedentibus Voluminibus dixi, ut ea hic solummodo repetens, plenior quam ut quisquam possit expectare, allocutio mea futura sit. At nihil ex illis repetam; tantum aliqua ad mentem tuam revoco, ut in primævo tuo instituto confrimeris, recipiendi scilicet quæ scribo illo eodem animo, quo ego scribo, & Tibi offero.*

*Ego quidem scribo, ut annorum, quos mihi Deus optimus superaddere dignatur, rationem utcumque reddere possim, & posteritati, quæ adveniet, & divinæ Bonitati, quæ confert. Posteritas videbit, me in hoc mundo non fuisse tantum, sed vixisse quoque; quum vitâ, quam vivo, laboribus compleam, & ostendam. Si vani labores sunt, defectus est ingenii, non finis; si opera sunt inania, culpa est mentis, non voluntatis; si volumina plura, non plena, deficit quidem vis, sed non labor.*

*Deus autem, quod mihi conferre dignatus est, hoc colligit. Illud minimum talentum, quod dedit, in lucro posui, & non aliud quam unum reportans, illud totum ipsi reddo. Si plura dedisset, majora redderem: proinde ego contentus minimis, & ipse quoque minima acceptabit.*

*Tu vero, si non eadem reportas in legendo beneficia, quæ in aliorum operum lectione colligis, non proinde accusabis intentionem, qua ego conor, ut possim, Tibi majori sollicitudine deservire. Colliges ex aliis, si non colligis ex his; & mihi sat erit alia illa Tibi indicare, si nescis; ut qui non possum proprio labore juvare, possim saltem alieno. Jam experimento comperis, me quolibet anno volumen unum edere, & hoc est Octavum. Si Deus post annum sexagesimum nonum, quem modo ago, alios dederit, alia quoque volumina recipies, quæ erunt usque ad duodecim. Te igitur quam maxime rogo, ut Deum deprecari digneris, si alia volumina expectas, quod mihi annos protrahat, ut ego quoque in laboribus perseverem;*